

Am.
1759

LUMEN PERPETUUM

Maternæ Pietatis Oleo

animatum,

Ad sepulchralem Urnam

Defunctorum Dominorum Sodalium

Almæ Sodalitatis Latinæ Majoris

Sub TITULO

BEATISSIMÆ VIRGINIS

M A R I A E

Ab Arch-Angelo salutatæ,

In Cæsareo & Academico Societatis JESU Collegio
Pragæ ad S. Clementem erectæ, & confirmatæ,

*In Anniversaria Exequiarum luce, funebri dictione
appensum*

A

REVERENDO, ac DOCTISSIMO PATRE

P. HENRICO GOTTWALDT

Societatis JESU, AA. LL. & Philosophiæ Doctore, in Alma
Cæsarea, Regiâque Universitate Carolo-Ferdinandea Pragensi
Ethices Professore Regio, Publico, ac Ordinario.

Anno à Partu Virginis 1718. Mense

Die

PRAGÆ, typis Univers. Carolo-Ferdin. in Coll. Soc. JESU ad S. Clementem.



Honori ac Venerationi
ILLUSTRISIMI
DOMINI DOMINI
FRANCISCI
JOSEPHI
SAC. ROM. IMPERII COMITIS
CZERNIN
DE
CHUDENICZ,

Hæreditarii Domini in Chudenitz, Wostraschin, Schwichau, Srbitz, Choczomissel, Kanitz, Dobrzikau, Petersburg, Rabenstein, Gieshibel, Neüdeck, Schönhoff, Sedtschitz, Miltschowes, Tschernitz, Flehau, Coftenblath, Wynarz, Cosmonos, Kost, Welchow, Mitrowitz, Neühaus, & Platz in Bohemia, nec non Schmidberg in Silesia.

DOMUUM NEÜHAUS & CHUDENITZ
GUBERNATORIS,

Sacrae Cæsareæ, Reqiæque Majestatis

CAMERARII,

Et

Hæreditarii in Regno Bohemiarum

PINCERNÆ.

Univ. Bibl.
München

**ILLUSTRISSIME
DOMINE DOMINE
SACRI ROMANI IMPERII
C O M E S.**



*Ecundo omine ad Gentilitios Illustrissima Do-
mūs Tuae Campos, ceu amoenissimos Elysios pro-
perant Devotæ Sodalium Defunctorū Umbra,
in albentibus fluviis Tuis caliginis mortalitis
atroxem emaculaturæ, & lucem bausturæ.
Tametsi & ipsæ multo Virtutum Parthenia-
rum lumine illustres, non obscurare, sed per Te clarius gestiunt
refulgere. Non est proinde, quòd succenseas, Illustrissimo No-
bilissimarum Virtutum Tuarum fulgori Umbras has affundi,
quaæ si vel domestica luce deficerent, illustres sunt, dum Tuae
sunt. Adeò etiam borrentes tenebris umbræ innubes splendo-
res Tuos obscurare nequeunt, qui mox in floridæ etatis Aurora
plenissimum lucis circumfers meridiem, ut quaslibet fulgore Tuo
reddas exigua jam Sol altissimus umbras. * Terras exteræ
peragrasti, populos lustrasti, & virtutes omnium collegisti, qui-
bus in horizonte Patrio clarius refulgeres. Hinc est, quòd ne-*

A 2

mo

* Ovidius 3. Metam.

mo non meram in Te gratiam, quam spiras, admiretur, nemo
non virtutum avitarum jubat, quod pulcherrimè diffundit, su-
spiciat. Ipsi adeò Romana Aquila suam in Te aciem defigere
placuit, cùm in Jovis Czechici Ganymedem clementissimè suscep-
tit, & clavim auream concredidit, ut èa secuturis honoribus,
quos in auge olim constituros boni omnes ex luce tanta pre-
giant, fores reserares. Quidni igitur fulgidissimos Elysios
Tuos petant per regionem umbræ mortis peregrine Defuncto-
rum Sodalium illustres Umbræ, ut in fulgoris Tui Societatem
admissæ lucis regiam clariores ingrediantur? Et vero sponde-
re banc illis lucis Tuæ gratiam nuperrimè visus es, cùm No-
men Illustrissimum Albo nostro insérere voluisti. Spondent
exempla clarissima Parthenie pietatis, quam Tecum adolevisse
vidimus, cùm teneroribus adbuc annis pulcherrima ejusdem
exhibuisti specimina jam tum avitis Virtutibus simillimus.*
Patere proinde devotas Umbras in Gentiliis Elysii Tuis meri-
diari, nec ambige futurum, ut Illis in regione lucis æternæ de-
liciantibus, fulgores Tuos ad augen properantes sequantur ma-
gnis passibus pedisæque bonorum umbra, quæ & ipsæ postquam
seræ Posteritati diu fulserint in terris, in splendores æternos
olim adolescent.

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONI TUÆ

ADDICTISSIMA SODALITAS
Latina Major B. V. ab Arch-Angelo salutatæ.

* Vellej. de Scip. & mil. l. 1.



ORATIO.



Uperstitionis ream propemodo
dum Te agerem Alma Sodalitas Ma-
jor , quòd Basilicæ hujus concole-
res luci parietes atra peristromatum
nocte induis , ut tremulis funalium
nitedulis obscurè illustres : diurnum
solis serenum funesto tenebrarum
velo obumbras , ut scintillantibus
lampadum stellulis lucem accendas : Phœbum expungis ,
ut noctilucis cereorum asteriscis lumen addas. Quid hic
sibi pene ad superstitionem devotus luminarium appa-
ratus ? an avitam religionem pertæsa ad veterum Ethnico-
rum ritus parentaturum reflectis animum, ut exanimis Ma-
riani Corporis membris justa persolvias cremando in cine-
res ? an Phœbum Persis quondam adoratum excludis , ut
igni Tuo divinos in templis honores tribuas cum Chaldæis ,
& Ægyptiis ? an denique in Vestalem Virginem abire pa-
ras , ut ignis perpetui custodiæ Te addicas, ad deducendas
Tuorum Umbras in lucis æternæ Elysium ? Sanè hæc lumi-
num pompa eas ingenio meo offundit tenebras , ut men-

tem Tuam dispicere nequeam. Quiescunt jam placidissimè à laboribus suis appositæ in monumentis Sodalium defunctorum exuvia , & cur easdem superstitione ad pyram efferens quiete interdicas, quæ requiem æternam precatura hic ades ? Non est, quod in mnemosynon tibi ambias pretiosos eorum cineres, qui pretiosissimarum virtutum Te scripserunt hæredem. Procul, cùm vitali luce fruerentur, abhorrebant vel ab umbra superstitionis , uni Patri lumen , & *Aurore veri Solis* (a) Mariae jurejurando sacratae Umbras , & cur fatuis Ægyptiorum ignibus eas à morte obfuscet, quæ lucem perpetuam aut gratulatura, aut exoratura huc congregata es ? Nihil opus est à deliro errorum busto lucem affingere iis , qui sincerae pietatis exemplis ad veram latriam Tibi facem prætulerunt. Devoti Tuorum Manes per regionem umbræ mortis peregrini Manuductricem nocti sunt *Mulierem amictam sole* , (b) *lumen orbis inextinguibile*; (c) & cur Vestarium flamas, utut virgines, tamen idolatriæ fuligine aterrimas eis præferens, offundas caliginem , dum per Mariam habes viam plus quam lacteam, qua verae lucis filios deducas ad Patriam ? Non indigent emendato à tenebris lumine , qui hac Heroum galaxiæ in lucis perpetua regiam invehuntur.

(a) Bonav. in Litan. (b) Apoc. 12. (c) Cyril. hom. 6.

Sed enim quid ego in hoc luminarium aprico usq; adeò mente cæcutio, ut superstitionis tenebras Tibi appingam Alma Sodalitas, cui nihil antiquius, quam antiquæ religionis zelus nunquam veterascens? quæ hyperdulicæ pietatis flammas perpetuò ardes, nunquam non luces? Nè succense, obsecro , immerso nativis tenebris Oratori : noctuæ vitium est, non solis, quod caligine laboret in meridie. Nubilum meum lumine Tuo absterge, ut ex ingenii nocte emergam ad videndum. Et verò diluculante gratiâ Tuâ , jamjam lux quædam parentalis pietatis Tuæ animo meo oboritur, dum funebrem istam inferiarum noctem oculis rursum perlustro,

stro, & cūmulatos ignibus ignes Tuos in luctuoso pegmate circumspecto. Ades, nī fallor, ut Sodaliū defunctorum Manib⁹ familiari Ecclesiā voto bene preceris : *Requiem eternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.* Inde pietatis Tu⁹ oleum destillas in æternaturæ quietis tranquillitatem, & ignes animas in lucis beatæ perennitatem ; an fortassis avitæ memor consuetudinis, quæ post solis ab horizonte discessum illato in conclavia lumine lucem perpetuam præsentibus comprecatur. Si ità : laudo consilium, & germanæ plena pietatis probo vota. Novisti videlicet lucis diurnæ expertem perennitatis inconstantiam, quæ quoties ad creaturarum gaudium mundo accenditur, toties paucarum horarum decursu cum naturæ totius luctum induentis compassione rursum extinguitur. Solem igitur dignaris in his inferiis, ut parentalis pietatis Tu⁹ flamas Partheniis Manibus in hac nigrescentium parietum nocte accendas in lucem perpetuam. Quamvis quæ Tibi in Matrem piissimam filialis est observantia, nocturna hæc illuminatio non tam pietatem Tuam, quām *perpetua lucis Auroram* (d) Bonav. (d) Mariam adumbrat, quæ quemadmodum involuto te-nebris orbi lucem æternam genuit, ità quos adoptat, lucis hæredes constituit, oberrantibus in hac vitæ nocte gratiæ lumen præfert, & Maternæ pietatis oleo identidem animat *Oliva speciosa*, (e) donec posito mortalis corporis opaco per (e) Ecclesiæ umbram mortis securè deducat in regionem lucis ac pacis, ^{24.} in lumen gloriæ perpetuum. Igitur luminosa pietas Tua jubet Oratorem præficum lumen perpetuum Maternæ Pietatis oleo animatum ad sepulchralem defunctorum Sodaliū urnam devotè appendere. Bene habet : pareo jubenti, indè etiam promptius, quòd piissimi ignes Tui spondent Oratori frigido vitam, obscuro lucem.

Lux oculorum delicium, universi gaudium, derivatæ in orbem sempiternæ bonitatis stilla princeps, primum in creaturis

creaturis cunctis divini oculi illicium ; quam primò omnium
(f) Gen. i. um vidit DEUS , quod esset bona. (f) Pulchritudinis totius arbitra, cælestis munificentia ministra, mundi vita, jam inde à primis incunabulis , communi creaturarum omnium suffragio audire & meruit, & debuit. Illa etenim universi oculos in pulchram sui pellicit admirationem ; illa , quibus dulcissime orbis innatata , communicata increata bonitatis fluenta creaturis exhibet ; illa pictam artifice Numinis dextera naturæ venustatem gratiosè illustrat ; illa fiderum nuncia virtutem eorum operatricem in inferioris mundi desert incrementa ; illa denique orbem universum, qui tetrica tenebrarum illuvie veluti extinguitur , amœno sui exortu ad vitæ gaudium regenerat. Hinc illa omnium gentium in ignem lucis Parentem studia : aras & delubra ei moliuntur Chaldæi : felicitatis omen Regibus suis præferunt Persæ : in cryptis subterraneis ceu sanctuariis custodiunt Ægyptii : æternitatem per Vestales suas eidem nondinantur Romani : cœli unius partum omnis veneratur Antiquitas, quem Prometheus gressu clandestino astra subiens primus in terras detulerit, ut informia hominum simulacra spiritu destituta animaret ad vitam. Tametsi quid fabulas cano, & vetustate sua sordidas gentium superstitiones recito ? Illustriora sunt lucis incunabula, quām ut obscuris mythologiae fasciis illigentur. Non priùs seipsum orbis asperxit, quām lucem, cuius favore irradiata telluris & abyssi facies , nativis tenebris cæcutiens, jucundissimè serenare cæpit oculum ad intuendum cum gaudio Omnipotentiæ creatricis prodigia.

Et verò voluptatis Elysium , deliciarum Patria, amœnitatis regia erat mundus, quām diu in deliciis reputabatur lucis serenitas ; ast ubi primum homo, paradisi voluptatis , terrarumque Dominus , jucunditatis hujus impatiens, communicato cum Principe tenebrarum consilio lucem fugit;

in me-

in medio ligni paradiſi (g) latibula inquirens à facie Domini, (g) Gen. 3.
extemps̄ velut obſtructo omni gaudiorum fonte, ærumna, dolorēſque multiplicati ſuper terram, & quæ prius
multiplici florū germe non niſi innocentem halabat
ſuavitatem, nūc ſentibus & tribulis horrida in ærumnof-
fiffimum homini migravit laboris, dolorēſque theatrum:
O! tetram humana felicitatis metamorphosim! quomodo
per unum cum luce divortium mutatus eſt color optimus,
& jucundiffima mundi orientis dies in luctuosā miseria-
rum noctem degeneravit! Injuriosum ditioni tuæ ſœdus
cum Lucifero, lethifero tenebrione pactus eſt adversus lu-
cem generis nostri Proto-Parens Adam, ut exturbato ſe-
reniſſimo felicitatis die, tēterrimum ærumnarum chaos
inveheres lugubris hesperugo, & terra, quæ tenebris undi-
que oberrantibus antehac inanis & vacua, lucis favore in
amœniſſimum deliciarum omnium effluerat paradisum,
adamatis rurſum tenebris in asperriſum maledictionis ſte-
rileſceret ſenticetum. Sensit (proh dolor!) aculeos hæredi-
tarias inter cimmerias huic spinarum labyrintho inerrans
flebilis Posteritas, dum undique faucia non niſi infamia lu-
cifugarum ſtigmata, indecora tulit vulnera, per quæ ſubin-
de ceu patefactas ſibi januas mors ipsa utut cæca invenit
aditum, & modicam, quæ ſuperabat, vitalis lucis ſcintillam
penitus exturbavit. O! luctuosum cum luce diſſidium!
quām decumani luctus miseram Adæ Posteritatē conſti-
tuisti hæredem! Quocunque hac in caligine timidum con-
ſiceret oculum, occurrabant terribiles viſu formæ, lethumque, (h) Virg. 6.
labōrque: (h) errabant undique timida mortis exordia, de- Enei.
ploranda vitæ larva: mors locis omnibus obvia etiam in
animas tyrannico grassabatur imperio, tranſeunte in Poſte-
rōs maledicto Parentis, in quo omnes peccaverunt. (i) Quid (i) Rom.,
in hoc funefiſo lucis exilio, miſeranda vitæ & gaudiorum
ſtrage, ageret oculus videndi facultate orbatus? alterum:

duntaxat munus supererat , ut lacrymis dolori suo pararet

(k) Ovid.4. levamen ; si tamen est quædam flere voluptas, (k) & non potius vehemens luctus consummati argumentum. Ità videlicet jam tum lugubrem Tobiz næniam intonuit orbis :

(l) Tob.1. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video.* (l) O! diram tenebrarum tyrannidem! quo usque tristissima lucis palpebra erranti mundo velabis oculum? quo usque mœstissima tumulata amœnitatis præfica lessum canes habitantibus in umbra mortis Adæ Posteris? sed conclamatum est: nullum natura providit pharmacum, quo à privatione tam calamitosâ regressus pararetur ad habitatum.

Nè tamen nihil ageret tanto in discrimine humana industria, desperato naturæ auxilio opem ab arte flagitavit, & quæ olim à Patre luminum fœcundissimè irrorata in pleno vitæ meridie apricabatur, tenuem nunc lucis brac̄team mendicavit ab igne, quam abeuntibus in regionem umbræ mortis aut ducem adjungeret , aut comitem. Quot improbi conatus , ut vel obscuræ lampadi adstrueret immortalitatem! quibus equuleis , aut seipsa torserunt mortalium ingenia , aut asbestum , & amiantum fatigârunt, ut chymico examine pauculas olei stillulas extorquerent, sempiterno lumini, quantulocunque demum, in nutrimentum cessuras! Et verò non penitus oleum amisisse , & operam lufisse videri poterant : testes invoco subterraneos Ægypti specus , qui ad illata suorum ossa plurium seculorum lumine obscurè refulserunt; (m) testem enecti à Turno Pallantis tumulum , quem reperta subinde ad Tyberim lucerna igne perpetuo illustris bis mille & amplius annos ad prodigium il-

(m) Kirche. Iuſtravit; (n) testem denique Tulliolæ loculum perpetua ſe-
rus in Oe- apud Kirch. ptemdecim propè seculorum lampade coruſcantem. (o)

(o) Panci- Quanquam quis concolores tenebris humani ingenii partus
tol. æterni luminis bajulos ſuspiciat, quorum tenue lucis respi-
rium

rium in nativam caliginem dudum expiravit? quis errantibus in umbra mortis fidelibus Adæ Posteris erraticas hujuscemodi lampyrides præferat, quæ superstitionis tenebris obscurent potius, quam ad lucis æternæ Patriam præluceant?

Procul hinc, procul este profani! fortunatior Orthodoxa pietas ad sepulchrales suorum urnas lumen accedit, non ut in regionem pacis superstitione illustret, sed, quod vovet, lumen perpetuum. pie adumbret, cuius nuper felices radii perstrinxerunt oculum Adæ tenebris illacrymantem, cum obumbrante signum Virginis Divino Igne *lux orata est iusto, & rectis corde letitia.* (p) Laudo Orthodoxam (p) Psal. 96. pietatem, illustribus applaudo novæ lucis genethliis: diffuite jam in auri pigmentum sidera, in gemmeam exundate sepiam æquora, pretiosos pennis latices instillate Paetoli, ut illustrissimus novæ lucis natalis illustri pariter configetur charactere. Dies præ cunctis albo dignissima lapillo, quæ hereditariis Paternæ prævaricationis tenebris amoenissimam luminis gratiam superinduxit, quamq; pactum olim Proto-Parentem inter, & coloratum mendace luciferi fuco serpentem fœdus invexit noctem, eam Phosphoro lucis Angelo felicissimè despescuit. Prorumpe in jubilos orbis Marianæ, fractos in lacrymas oculos serena: tuis tripudiis lumen perennaturum nascitur, quod *Oliva speciosa in campus primævæ innocentia semper florida, originariæ caliginis fenticeto nunquam implantata piissimè animat*, dum delatum in Ave Angelico Ignem Divinum succo suo vitali, quem humilis Ancillæ nomen expressit, feliciter concipit, & Materna pietate nutrit, ut asbestos felicior anhelantibus lucem Adæ Posteris, iis præ cæteris, quos inter Calvarii tenebras cum Joanne gratiosè adoptavit in filios, lumen perpetuum præferat. Vobis jam pæana acclamo Umbræ Partheniæ, quibus Mariana Olea, & in medelam vulnerum hereditarias inter caligines acceptorum, & in splendoris in-

occidui nutrimentum destillavit oleum , quò tenebrarum fato nunquam involvenda fidera fulgeatis in perpetuas æternitates. Fuerit commentum , quòd olivæ frondem columbæ ministerio arcæ illatam nulla ignis edacitas aut absumere , aut commolere valuerit in cineres ; Partheniis Manibus gaudiosissima est historia : Marianæ Olivæ succum vitalem *Divini partus Ignis non combusit.* (q) Sit DEUS nostrum de Na- ster ignis consumens : temperante æstum Divinæ Columbæ umbrâ speciosa pacis Olea ardet perennis. Oleam manibus virgineis consitam uberiùs proficere fabula fit , an veritas : Oliva hæc Virginea sterile yepretum , quo originarias inter tenebras lugubrè mundus inhorruit, admirabili lumine suo in uberrimum gratiarum convertit paradisum , è quo subinde Joanneos Asseclas post tenebras sperantes lucem , morte non gustata, in regionem lucis , ac pacis æternæ securè de- duceret.

(r) Perora jam pro piis tuorum Manibus Alma Sodalitas : *Il-*
luminare his , qui in tenebris , & in umbra mortis sedent , ad
dirigendos pedes eorum in viam pacis. (r) Audiet Mariæ cha-
ritas , & oblato vitali succo ornabit lampadem , qua instructi
Clientes Virginei admittantur in cænaculum nuptiarum
Agni , ubi nox ultrà non erit. Requiem æternam , & lu-
(s) Damasc. Orat. de Na-
tiv. B. V. cem perpetuam Eis precare. Annuet *Oliva fructifera in*
domo DEI, (s) Maternæ pietatis oleum simul destillabit in pa-
cis æternæ tranquillitatem , simul in lumen animabit per-
petuum , ut eo illustrati absque umbra mortis fulgeant in
regione lucis , ac pacis , intuentes in Eum , qui lucem ha-
bitat inaccessibilem .

Eja igitur progredimini illustres Umbræ , Mariano lumine circumdata fulgete fidera , Sole æterno fruimini in splen- doribus Sanctorum ! ego interim perennaturæ Virtutum vestrarum memoriaz tenuem radium accendam in terris ; imò umbram aspergam , ut luceat lux vestra in tenebris meis ,

meis, quando non planè obscurum lucis argumentum est
umbra pedis equa. Jámque inocciduo virtutum suarum
fulgore perstringit oculum ILLUSTRISSIMUS D.D. IN-
NOCENTIUS FERDINANDUS S.R.I. COMES de BUBNA
& LITTITZ, Dominus in Schkrzivan,&c.

Illustrissimam Comitum Pro sapiam
Virtute sua illustriorem reddidit,
Dum claritati sanguinis factorum nobilitatem sociavit,
Bis Illustrissimus.

Virtutis semitam ingressus ab infantia,
non exorbitavit,

Prælucente pulchris gressibus Aurorâ Marianâ.

Mensuram nominis examus sim implevit verè Innocentius,
Matris innocentissimæ filius juratus.

Ave Angelicum cùm assiduo dixisset vivus,
In adiuta Virgini Niveæ D. Michaëlis Ecclesia

tumulari voluit,

ut pietatis filialis candorem etiam mortuus continuaret.

Adeò à teneris affvescere multum est.

Ibidem honori Angelico lampadem appendit argenteam,
ut Angelorum Regina sibi lumen perpetuum accenderet;
in quod dum unicè intèndit oculos,

etiam supremos funebris pompæ splendores despexit,
obscuro plaustro deportari volens ad loculum.

Ità plenè extinctus terris,

Illustrior ortus est cœlis.

Cœloque datur, quod demitur orbi. (t)

(t) Claudius.
nus.

Nec dum erepta est oculis Umbra Illustrissima, cùm novæ
lucis fulgor umbram Oratoriam evocat in pedisquam.

Sta Viator!
Nobilissimæ familiæ fidus hic occidit.

Fallor :

Ortu sereniore cœlis illuxit.

Et is ILLUSTRISSIMUS D. D. WÉNCESLAUS WO-
RACZICZKY L.B. de PABIENITZ, Dominus in Maletz &
Pachobradt , sub inclyta Cæsarea Rabutiniana Legione E-
questris turmæ levioris Praefectus.

Fumosas ille Majorum ceras
suas tenebras ratus,
Nisi propria splenderet virtute.
Extera adivit climata,
ut fulgeret latius.

Habent id nempe commune Herœs, & sidera,
ut

pluribus orientur plagiis,
lucent omnibus.

Dehinc Martem annis pluribus secutus,
Comitem habuit Virtutem, pedisequam gloriam;
Donec in confictu ad Albam Græcam
(sanguine proprio galaxiam secuturæ sternens victoriæ)
pluribus vulneribus occidit.

Magna videlicet anima uno vulnere egredi nequiit.
Disce Viator !

Etiam summa lumina supremus expectat occasus ,
nisi perennitatem à Virtute mutuentur.
Invalescit lux , etiam inconnivam aciem apta perstringe-
re: extinguitur pene Oratoris umbra; cum altum adeò as-
surgit Virtutis fulgor.

Siste tamen Viator !

Lucis meridiem ex umbra metire ;
Jacet hic magni Nominis umbra ;

Imò :

Fulget luminare magnum.

Reve-

Reverendissimus, Per illustris, ac Amplissimus D. TOBIAS
ADALBERTUS OPITZ, Proto-Notarius Apostolicus, Sa-
cra Metropolitanæ Ecclesiæ ad S. Vitum in Castro Pragensi
Prælatus, Reverendissimi, sempèrque Fidelis Capituli Me-
tropolitani Decanus, nec non Ingenuæ, ac Exemptæ Eccle-
siæ Budissinæ in Superiori Lusatia Canonicus, Congregatio-
nis ex ultima voluntate Benefactor.

Memorat claritatem Nominis ejus Bürgsteinium,

ubi inter epidemicæ luis umbras

zelo Apostolico illustris vixit;

Auget celebritatem Schluckenavia,

unde, ut luceret clarior, tenebriones Lutheri exegit.

Denique Magnitudinem in auge constitisse

S. Metropolitana Ecclesia testata est,
dum sexdecim annorum curriculo coluit Prælatum;

ac tandem,

quo magno Nomi mensuram parem adjiceret,

Decanum Prælatorum renunciavit.

Ità Illi honorum officia claritatem,

Ità Ille honoribus officiorum magnitudinem,

Sive in Cœlites magnificus,

Sive erga indigos munificus,

asseruit.

Pragæ Sacellum Magnæ Virginis,

Lippæ Aram Magno Silentiaro,

ubi vixit,

Piacularibus Manibus suppetias annuas,

posuit. Legavit.

Sed dum hæc,

& his majora luci publicæ operatur Virtus clarissima,
Ab inido fato ad umbras quinquennali damnatur calculo,

Annò ætatis 72. Æræ Christianæ 1717. 3. Aprilis.

Sabbatho in Albis evocatus ad requiem,

ad lucis æternæ candorem.

Nempe

Nempe vitâ extinctâ , gloria vivit immortalis.
Sic extingue Viator, & semper lucebis.
Respirum cogitabat tenuis jam Oratoris umbra , mox
novus splendor ex urna promicat.

Hac urnâ tumulata jacet emerita Virtus.

Reverendissimi, Doctissimi, Præcellentis, ac Venerabilis Do-
mini GODEFRIDI FRANCISCI GRÜGER, AA. LL. & Phi-
losophiæ Magistri, SS. Theologiæ Baccalaurei Formati , Sac.
Cæf. Reg. Majestatis Aulæ Capellani , Fridlañdensium Deca-
ni , & per partem Districtus Neo-Boleslavensis Archi-Epi-
scopalis Vicarii Foranei.

Erravi !

Cinis hic quiescit ;

nam Virtus mori nescia lucem publicam perpetuum videt.

Hæc Eum Luminibus Ecclesiæ accensum

non sibi , sed aliis

luxisse & vixisse

fecit.

Triginta annis Decanum Vigilantissimum;
Viginti Vicarium Foraneum Sapientissimum,
Nunquam non Pastorem egit zelantissimum.

Lugent Eum subditi , quos rexit,

Peregrini, quos fovit,

Pauperes, quos aluit,

Omnes, quibus ad virtutem præluxit.

Ingressus est æternitatem non ignotus ,

Cujus sibi Illustrem titulum tot eleemosynis emit.

Nec ipsam supremam horam beneficiis vacuam voluit,
Dum Congregationis nostræ ex ultima voluntate Benefactor
abiit ad perennium beneficiorum possessionem.

Annô Christi 1717. die 26. Aprilis.

Montium prærogatiya est fastigiis suis lucem plurimùm
intueri.

intueri. Inclarescit hoc privilegio Mons Sion Pragensis,
qui de gremio candidissimo ad contemplandam facie ad fa-
ciem lucem æternam transmisit unum.

Nomen queris Viator?
Hyacinthus hic jacet.
Si gemmam vis: luxit.
Si florem: fragravit.

Est is Admodum Reverendus, Religiosus, ac Venerabilis
Dominus P. HYACINTHUS FORSTER Candidissimi, &
Exempti Ordinis Præmonstratenſis, Regiæ Ecclesiæ Mon-
tis Sion Canonicus Regularis, & Regiæ Urbis Zatecensis
Decanus.

Quem habitu prætulit candorem,
Moribus expressit.
Quatuordecim annos in animarum cura Cooperator,
Septem Regiæ Urbis Zatecensis Decanus,
fuis
non magis verbo præluxit, quam exemplo.
Omnis ejus vivendi ratio, sermo eloquens fuit,
non clarior lingua, quam vita.
Vernante perpetuò Virtutum suarum odore
In imitationem pellexit gregem sibi creditum,
Verè Pastor bonus,
Potens opere & sermone.
Mariani honoris Zelator Eximus,
Cùm Matri dolorum in Ecclesia Zatecensi Thaumaturgæ
totum se devovislet,
Evocatum ad lucis æternæ gaudia
3. Octobris in solemnitate Sanctissimi Rosarii

Coronæ suæ inseruit Augustissima Cœli Regina,
Hyacinthum genuinum,
qui
Ità luxit,
Ità fragravit.

Abeuntem è montibus lucem, supremam cogitabam, naturæ genium fecutus, cùm novissimæ lucis gratia domesticos inter parietes mihi oboritur, quæ umbram Oratorium expirio proximam sibi poscit vestigalem.

Sta Viator, & luge!

Hic jacet Admodum Reverendus, Religiosus, ac Eximus P. JOANNES STEINER è Societate JESU, SS. Theologiae Doctor, Venerabilis Archi-Episcopalis Consistorii Pragensis Assessor, nec non Reverendissimi, & Celsissimi Principis D. D. FERDINANDI (plen. tit.) Archi-Episcopi Pragensis Theologus, ac Confessarius.

Vir

De re Christiana, & literaria
optimè meritus,
quem
Suspexerunt summi,
Venerati sunt æquales,
Probârunt Imi,
Amârunt Omnes.

Formavit in Eo mores Affabilitas: quò pelliceret;
Ingenium Sapientia excoluit: quò instrueret;
Virtus Voluntatem exornavit:
quò pellectos & instructos
in bonitate perficeret.
Trina Eum Universitas suspexit Doctorem;
Saxonia, & Polonia æstimârunt Hospitem;
Serenissimi, Celsissimi, Excellentissimi
suum dixerat Thcologum.

Adeò

Adeo

Devinctiendis animis vinculum nullum aptius repereris
Virtute Sapientia maritata.

Hac conspicuus

Annos ipsos XIV. Reverendissimo assedit synedrio,
Et

(si bonorum vota spectes)
sedere plures debuit.

Verum

Laboribus impetum, morbis fractum,
cedere loco in loculum jussit

In capite primo humanæ naturæ scripta lex.
Annô salutis 1717. 26. Septembris.

Abi Viator!

Lucem perpetuam Ei precare,

Quem,

Si merita respicias, serò satis,

Si bonorum desideria, præmaturè nimis,

Mors extinxit.

Tenebrae nunc ingruunt Alma Sodalitas, dum, quæ hactenus nocturni Oratoris caligini lucem faverunt, cum aliis plurimis pedisequâ elogii umbrâ dignissimis, eripiuntur oculis illustria Parthenii Corporis membra, Mariani cœli fidera, & prælucente *Oliva speciosa, pulchra ut luna*, in horizontem alterum lucis perpetuæ invehuntur³, Soli æterno optato fœdere socianda. Itaque quæ se totam lumini tuorum perpetuo insumpsit, luminis expers caliginosa expirat dictio. Tu erratis ejus bene precando largire indulgentiam, illudque in hac anniversaria Parentalium luce tuum cense negotium, si qui piorum Manium adhucdum in umbra mortis oberrantes lucis Patriam non attigere, devotis affectibus lumen Marianum adspirare, ut dispulsa caligine lux perpetua luceat Eis.

D I X I.

Univ. Bibl.
München